Augustinianorum Nullitatis Capituli Generalis.

Em.[me] *& Reu.*[me] *Dñe.* COncordato Facto sumus in eodem prorsùs sistemate à nobis repræsentato sub die 31. Ianuarij; Imò validitas Capituli Prouincialis Aragoniæ, & è contra nullitas Capituli Generalis clariùs elucescit ex facto concordato, cuius Epitome talis est.

Eminentissimus Protector infrascripta gessit. *Primò* de anno 1688. deputauit in Visitatorem Generalem P. Ioannem à S. Iosepho tunc, & nunc Procuratorem Generalem (A) *Secundò* substituit in Visitatorem P. Iosephum à Spiritu Sancto. *Tertiò* de anno 1691. suspendit ab Officio Vicarium Generalem (B) & deputauit in Prouicarium eumdem P. Iosephum qui erat Visitator (C); illoque renunciante subrogauit tùm in Prouicarium, tùm in Visitatorem P. Simonem Aduersarium cum clausula *suspensione durante* (D).

Interim à P. Iosepho visitata fuerat Prouincia Aragoniæ, itaut P. Simoni remanerent dumtaxat visitandæ Prouinciæ Bethicæ, & Castellæ (E)

At quoniam P. Simon ob suos fines intendebat reuisitare Prouinciam Aragoniæ, expositis Eminentiss. dubijs sibi beneuisis, & sub forma sibi beneuisa, petijt ab eodem Eminentissimo, nùm Aragonia esset iterùm visitanda: Et vsquequò visitatio durare deberet; & fuit responsum circa reuisitationem esse ampliùs deliberandum; Totam verò Visitationem explendam esse intra annum 1693. (F)

Postmodùm verò idem Eminentiss. 10. Octob. 1693. asserens ad eius notitiam peruenisse Visitationem Aragoniæ fuisse informem, commisit de nouo d. P. Simoni vt consideratis defectibus pro eius arbitrio, illam Prouinciam de nouo visitaret (G)

A Di-

(A) *Summ. Aduersarij Num. 1.*
(B) *Summ. Aduers. Num. 3.*
(C) *Summ. Aduers. Num. 4.*
(D) *Summ. Aduers. Num. 5.*
(E) *Ex Facto concord. §. 2.*
(F) *Ex Facto concord. §. 2.*
(G) *Summ. Aduers. Num. 9. & ex Facto concord. §. 3.*

Distulit P. Simon vsque ad mensem Aprilis de anno 1694. ac tali tempore profectus in Aragoniam, implorauit auxilium brachij sæcularis, illoque mediante premere cæpit Prouincialem, & Religiosos Conuentus Cęsaragustæ vt ipsum recognoscerent, & admitterent (H) in Prouicarium, & Visitatorem Generalem iuxta mox allegatas Patentes Eminentissimi. (I)

Verùm quia P. Simon perperàm ampliùs vsurpabat nomen, & potestatem Prouicarij, prout etiam euanuerat prætensa facultas visitandi de nouo, vt mox in impugnabilitèr ostēdetur, Cōuentu remonstrare debuit brachio sęculari quod illius assistentia P. Simoni deneganda, & reuocanda erat, prout auditis Religiosorum exceptionibus brachium sæculare suam assistentiam recusauit, & inhibuit vsum brachij sæcularis antecedentèr concessi ad fauorem P. Simonis. (L)

Interim P. Simon proprio marte non desistens, 19. Aprilis Religiosos requisiuit sub pæna excommunicationis vt sese ipsi subijcerent, sed ter requisiti, ter appellarunt ad Sanctissimum (M)

Appellatione autèm contempta P. Simon 25. Aprilis publicos Cedulones affixit contra Religiosos præfati Conuentus (N) non sine maxima Sęcularium admiratione qui nunquam viderant Religiosum in Religiosos publicè fulminantem; Vnde Religiosi antecedentibus appellationibus repetitis iterùm appellarunt. (O)

Cauendum hic à §. 6. *Fatti concordati* vbi dicitur -- *Lasciarlo visitare in vigore de Breui Pontificij, & Ordini di Monsignor Nunzio, e suo mandato de manutenendo, che furono intimati, e presentati capitolarmente*, quia in concordando facto expræssè conuentum fuit, Decreta Nuntij nullo prorsùs modo comparuisse in Scena Aragoniæ; nec tale quid inuenietur in Facto à me subscripto; Quin imò impossibile est de huiusmodi Decretis habitam fuisse rationem in Aragonia quando ibi res agebantur de mense Aprilis, & decretum finale Domini Nuncij est de mense Maij

(H) *Summ. Aduers. Num.* 12. & 13.
(I) *Summ. Aduers. Num.* 5. 8. & 9.
(L) *Ex Facto concord.* §. 5.
(M) *Summ. Aduers. Num.* 15.
(N) *Summ. Aduers. Num.* 16.
(O) *Summ. nostro Num.* 7.

Maij, (P) non obstante quod primum Decretum emanasset 15. Martij quia remansit suspensum per recursum, & reuisionem vsq; ad 12. Maij, prout vsq; à præcedenti Congregatione supplicaueram Domino Auditori Eminentissimi Ponentis, vt reflecteret iuxta tenorem mei Epistolij in calce præsentis informationis. Et in hoc parcat mihi Dominus exaduerso scribens qui suscepit Prouinciam extendendi, & transcribi faciendi factum concordatum, quia in hoc non processit bona fide.

Dùm supra narrata Cæsaraugustæ agebantur, appulerant iam Calataiubium Priores Conuentuum, Regnorum Aragoniæ, & Valentiæ, ac Principatus Gotholoniæ pro Capitulo Prouinciali indicto iam ad 30. Aprilis; Vndè P. Prouincialis, & reliqui Vocales, illhùc etiam properarunt.

In prima Capituli coadunatione P. Simon significari fecit septem Religiosos, ex viginti, & vno (Q) congregatis, censuris esse irretitos, nempè P. Iosephum à Domino Nuncio, reliquos (R) verò ab ipso P. Simone; Ideoque moneri alios, nè communicarent.

Ex his, quatuor Religiosi (S) fautores P. Simonis discedere voluerunt (T) frustrà iussi, vt persisterent, (V) & clanculum quoddam Capitulum celebrarunt.

Reliqui verò decem & septem continuarunt in deliberationibus præliminaribus; sed antequam deueniretur ad electionem, P. Iosephus, de quo dicebatur, quod esset excommunicatus à Nuntio, quamuis de talis excommunicationis notitia non constaret, discessit à Capitulo, itaut electiones à sedecim dumtaxat remanentibus celebratæ fuerunt. (X)

Subsequentèr verò à P. Simone cum suis fautoribus celebratum fuit Compluti absque vlla conuocatoria prætensum Capitulum Generale, quod celebrandum erat Granatæ, ibique, nullo audito, declaratum fuit nullum Capitulum celebratum à Sedecim, & è contra validum celebratum à quatuor, & in eodem admissi quinque Vocales electi ab isto Capitulo, & contempti Vocales electi à Capitulo ple-

 no

(P) *Summ. Aduers. Num.* 11.
(Q) *Summ. Aduers. Num.* 17. *litt. A.*
(R) *Sunt descripti d. Num.* 17. *in ordine Num.* 1. 2. 4. 5. 6. 29. *&* 21.
(S) *Descripti d. Num.* 17. *septimus* 9. 12. *&* 18.
(T) *Dicto Summ. Aduers. Num.* 17. *litt. C.*
(V) *Dicto Summ. Num.* 17. *post d. litt. C.*
(X) *Et facto concord.* §. 7.

no qui, in ipso Capitulo Generali de eorum contemptû, & nullitate proteſtati fuerunt. (Y)

His ſtantibus, vltra alias nullitates, ac ſubuerſiones Iuris, & legum, & enormes violentias, reproponitur hodiè dubium: an generale Capitulum de quo agitur, fuerit nullum; illudque, attenta iuſtitia, ſperamus nullum eſſe declarandum, prout declarari ſupplicamus.

Ad reſpondendum de nullitate ſatis eſt dicere, vt aduertebamus in præterita, quod vltra mutationem loci, quæ iuxta Conſtitutiones municipales fieri non poſſet, niſi à Summo Pontifice *Summ. noſtro num. 8.* nulla interuenit conuocatoria ad locum mutatum, neque vlli mutatio ſignificata fuit; vndè nullitas eſt inſanabilis *Cap. bonæ 36. de Elect. cum concordan.* abſque eo quod prætendi poſſit citationem adimpletam per comparitionem Vocalium, quia ex Vocalibus qui debebant intereſſe iuxta Conſtitutiones à nobis datas *in Summ. Num. 9. & 10.* non fuerunt vocati, nec interfuerunt ſedecim Vocales enumerati in *noſtro Summ. Num. 11. litt. B.*

Sed quoniam ex aduerſo tota vis conſtituitur in impugnando noſtro Capitulo Prouinciali Aragoniæ, illique obijciuntur tres Cenſuræ, nempè Cenſuræ latæ à P. Simone, aliæ latę à D. Nuncio contra vnum ex Vocalibus, ac demùm aliæ incurſæ ob recurſum ad Iudices Laicos; propterea noſtros Religioſos, & per conſequens Capitulum ab obiectis huiuſmodi Cenſurarum irrefragabiliter vindicabimus.

Cenſuræ latæ à P. Simone non ſolùm ſunt attentatæ ex quo fulminatę ſub die 25. Aprilis pendente appellatione ad Sanctiſſimum interpoſita ſub diebus 3. & 19. Aprilis vt in *Summ. noſtro Num. 7. & Summario Aduerſ. Num. 15.* Verùm etiam quia P. Simon erat perſona priuata, & nullam habens poteſtatem; quia neque erat Prouicarius, neque erat Viſitator.

De carentia Proucariatus res eſt clara; quia eius deputatio in Prouicarium concepta fuerat cum clauſula durante ſuſpenſione *Summ. Aduerſ. Num. 5.* & ſuſpenſio Vicarij Generalis iam ampliùs non durabat, quia defunctus fuerat, quod non negatur, & in Officio Prouicariatus ſucceſſerat Prouincialis Andaluſię ex Conſtitut. Gregorij XV. *Summ. noſtro Num. 2.* itaut quicquid fecerit P. Simon

(Y) *Summ. noſtro Num. 14.*

mon vtendo iuribus Prouicarij, totum fuerit contra Constitutiones Apostolicas: & displicere non debet, quod posita in vna lance eius deputatione expirata, & stante ab altera Constitutione Apostolica, Patres Aragoniæ adhæreant potiùs Constitutioni Apostolicæ, quàm eius deputationi effectu euacuatæ.

Nec possunt suffragari asserta Decreta manutentionis expiscatæ ab Auditore Nuntiaturæ, in *Summ. exaduersò nu. 11.* quia quicquid sit de iustitia, vel iniustitia huiusmodi decretorum, certum est quod illa non comparuerunt, vt dicebamus, nec comparere potuerunt in Aragonia, nisi subuertatur ordo Chronologicus, vt decreta Maij antecedenter visa fuerint in Aprili.

Minùs suffragari potest subtilitas, sub qua fortasse Auditor Nunciaturæ æquiuocauit, quod scilicet Prouicariatus durare debebat non solùm durante suspensione, verùm etiam Visitatione durante; quia in hoc etiam sensu expiratus fuisset, dum Visitatio durare non debebat, nisi per totum annum 1693. qui iam expirauerat, quando hæc agebantur in Aragonia.

De carentia verò Visitatoratus, res adhuc est clarior ex duplici capite: *Primò*, quia, vt est in confesso, Visitatio durare non debebat, nisi durante anno 1693. vnde anno isto iam expirato, expirauerat etiam Visitatoratus, absque eo quod dicatur, quod intra dictum annum à 10. Octobris vsque ad finem Decembris satis temporis non habebat ad explendam Visitationem, quia sibi imputet, si iure suo vsus non est tempore habili. Præterquam quod motiuum retorquemus; acsi bimestre, seu trimestre non erat sufficiens ad visitandum, longè minùs sufficiens erat in Aprili vnus mensis dumtaxat ad visitandum.

Sed clariùs *secundò* cessat Visitatoratus, quia de Mense Februarij emanauit constitutio Sanctissimi D. N. moderatoria facultatum Protectorum Ordinum Regularium; ibique aufertur à Protectoribus omnis, & quęcunque iurisdictio tàm iudicialis, quàm voluntaria, derogando etiam Indultis, priuilegijs, aut constitutionibus Apostolicis, siue ex regulis siuè ex statuis Ordinis siuè quouis modo pertineret, prout videre est in dicta Constitutione impressa circa medium in §. *Hinc cum retento cum seq.* Vndè cum

antequam P. Simon vti inciperet protestate sibi data ab Eminentiss. Protectore ad visitandum de nouo; Imò antequam suam commissionem patefaceret, superuenit ademptio potestatis in Eminentiss. delegante, intrat aperta Iuris regula, quod *extincta Iurisdictione in Persona mandantis, extinguitur Iurisdictio in persona Mandatarij re integra*, vt sunt verba Butrij *in cap. Relatum num. 3. de offic. Deleg.* vbi reliqui Canonistæ.

Hinc est quod P. Simon non poterat admitti in visitatorem vigore præmissarum literarum patentium, quia obstabat Constitutio Sanctissimi pœnalis aduersus ipsos Religiosos si admisissent, vt in *præcit. constit. in* §. *Vt autem.* & his rationibus doctissimi Religiosi Aragoniæ replicarunt Patri Simoni etiam per manifestum impressum, cuius rationes approbarunt Magister Scholæ Metropolitanæ, & collegialiter sedecim Collegia, & Conuentus, nempe Societatis Iesu, S. Augustini, S. Dominici, & aliorum Ordinum Regularium Cæsaraugustæ. Vnde mandatum factum à persona priuata, & omni potestate denudata, & mandatum contra Constitutiones Apostolicas non erat attendendum, subindeque eiusdem censuræ non timendæ ob radicalem defectum potestatis in fulminante, ex *cap. Noua. de pœnit. & remiss. Fagnan. in cap. Procurationes. de censibus nu. 49.* præsertim attenta appellatione ad omnem bonum finem interposita, ex allegatis per *Donat. tom. 1. tract. 10. quæst. 28. & quæst. 41. num. 2.*

Quantum est igitur ad censuras fulminatas à Patre Simone, poterant Vocales Prouinciæ Aragoniæ, tum stante appellatione, tum stante defectu potestatis in fulminante progredi ad Capitulum Prouinciale, & vti ipsorum iure absque vllo timore, vt docet *Donatus loc. citat. dict. quæst. 41.* ne aliàs sit in arbitrio priuati cuiusque induere laruam Superioris, & legitimas Prouinciarum functiones perturbare.

Transeundo ad censuras quæ latè prætenduntur à Nunciatura contra Patrem Iosephum à Spiritu Sancto vnum ex Vocalibus Capituli Prouincialis, prout in facto concordato §. 4. iam dicebamus eas non iustificari ex fide Secretarij Patris Simonis ex aduerso data *num. 10.* neque modo ex literis Domini Nuntij iustificatur, quod censuræ latæ

Ma-

Matriti emanauerint citata Parte, seu quod intimatæ fuerint Patri Iosepho existenti in Aragonia. Vnde ignorans censuras contra se latas, habere se non debet pro censurato, *Fagnanus in cap. A nobis. il 1. de sentent. excommunic. num. 40.* Hinc Capitulum Prouinciale impugnari non potest ex eo capite, quod iste Pater Ioseph in eo interuenerit.

Et adhuc obiectum cessat ex facto; quia licèt interfuerit primæ sessioni, in qua sequuta fuit protestatio P. Simonis, & in qua facta fuere nonnulla Decreta; nihilominùs in sessione alterius diei, in qua fuerunt electi Vocales pro Capitulo Generali, P. Iosephus nequaquam interuenit, vt in facto concord. §.7. Vndè istorum electio redargui non potest ex prętenso defectu, quod facta fuerit cum participatione excommunicati declarati.

Et ex eo, quod reliqui Vocales participassent cum ipso in Sessione antecedenti, ad summùm prætendi potest nullitas Actorum illo interueniente gestorum, loquendo in supposito excommunicationis notæ (quod in facto non ostenditur) & retento eodem supposito non propterea remanere possunt infectæ electiones subsequutæ absque illius interuentu, quia ad nullitatem debuisset præcedere declaratio Iudicialis incursus Censurarum in reliquis Vocalibus, aliàs actus electionis non vitiatur *Donatus Tom. 2. tract. 4. quæst. 8. à num. 3. ad seqq.*

Vndè Vocales Aragoniæ mei Principales impugnari non possunt ex capite excommunicationis prætensæ contra P. Iosephum à Spiritu Sancto, tùm quia non constat in facto, tùm quia de iure non obstaret in ordine ad electiones.

Demùm nostrum Capitulum Prouinciale impugnari non potest ex capite Censurarum à Iure inflictarum ex prætenso recursu ad Iudices laicos, quia, vt in præterita responsione dicebamus, nos non fuimus recurrentes, sed ipse P. Simon nos vocauit ad illud Tribunal, cuius ipse brachium implorauerat, vt in facto concordato §.5.

Neque nostra procedimenta quæ non fuerunt, nisi ad auertendam à nobis potentiam sæcularem ab Aduersario imploratam, redargui possunt de recursu, quia defensio & exceptio, nè brachium impertiretur, non est prohibita; neque alius est sensus verborum, quæ leguntur in nostro Capitulo Prouincia-

cia-

ciali, nisi quod Iustitia Aragoniæ brachium concessum reuocauerit.

Et hoc apertè patet ex ipso facto, quia si alitèr fuisset, absque vllo dubio P. Simon die 25. Aprilis non processisset ad excommunicandos Religiosos, proùt in *Summ. ex aduerso n. 16.* si firma obtenta à Religiosis sub die 21. eiusdem mensis aliud importasset, quàm assistentiam brachij sæcularis denegare.

Neque recursus probatur ex literis Illustriss. Nuncij ad Eminentissimum Protectorem sub data Septembris 1694. vt in facto concordato *d. §. 5. circa finem*, quia literæ Nuntij loquuntur de alio facto recenti, vt apparet in facto concordato §. 10. Vndè recentia retrotrahi non possunt ad factum Capituli Prouincialis; sed in ipso etiam facto recenti loquitur in genere, & non specificat de quo intelligat, dùm verba illa: *valendosi dei fori di quel Regno*, sunt verba nimis generica, super quibus fundari non potest iudicium aliquod ad prætendendum, quod essent excommunicati Vocales, qui celebrarunt nostrum Capitulum Prouinciale; Vndè nullitas nostri Capituli Prouincialis per coniecturas & diuinationes, verborumue longinquas interpretationes, redargui non potest.

Imò motiuum hoc in Vrbe excogitatum, est adeò alienum à facto, vt si hoc substitisset, Capitulum generale, sicuti declarauit fuisse nullum nostrum Capitulum ratione Censurarum à P. Simone iustificatum, si adfuisset nullitas ob recursum ad Iudices laicos, certè non omisisset nullitatem ex illo capite declarare.

Neque replicetur Capitulum generale ausurum non fuisse ex isto Capite declarationem facere, dùm hoc idem Capitulum sub determinatione quinta non timuit decernere, vt recurrentes ad Iudices laicos in Regnis tàm Castellæ, quàm Aragoniæ expolientur habitù & à Religione expellantur, proùt ex Capitulo generali circa finem; Vndè obiectum Censurarum ex prætenso recursu non ostenditur, nec subsistit.

Ac proptereà Capitulum Prouinciale ab omnibus prætensis Censuris vndequaque vindicatum est.

Attenta igitur validitate nostri Capituli Prouincialis, negari non potest nullitas alterius Capituleculi, & nullitas Capituli Generalis tùm ratione contemptus quinque Vocalium Aragoniæ nostrorum principalium, qui reclamant, & de

con-

contemptu ac nullitate protestati sunt, *Summ. nostro nu. 14.* tùm ob locum indebitè mutatum, & omissam Conuocatoriam, ex quo non interuenit P. Iacobus, qui iuxtà Constitutiones erat Prouicarius, & qui reclamat *Summ. nostro num. 5.* & interuenire non potuerunt octo Vocales pro Indijs, vltra alias nullitates in præteritis indicatas.

Hinc speramus declarandam nullitatem adeò manifestam, vt Regulares iam facti audaciores ad Iura conculcanda sub spe sanationis, discant ex iustitia proprias Constitutiones reuereri, & huic Religioni post diuturna turbina, tandèm religiosa serenitas illucescat, nil refragantibus literis Illustriss. Nuntij in facto concordato sub §. 10. quia non potest esse informatus, nisi à Matritensibus, qui assistunt P. Simoni, proùt hic in Vrbe diù nullus informauit, nisi P. Ioannes, & neque concipere pacatas esse Prouincias Castellæ & Bethicæ, dùm adhuc exulant legitimi Prouinciales & Definitores, ac grauiores Ordinis Patres, & per minas, & carceres gemitus oppressorum cohibetur.

Quare &c.

Georgius de Firmanis.

Sig. Antonio Bussi mio Sig.

Per togliere ogni ombra di difficoltà, supplico V. S. à riflettere in punto di fatto, che li due Decreti del Nunzio che nella Causa de' Scalzi Agostiniani si danno dalla parte contraria al num. 11. non comparuero in Scena nelle cose succedute in Saragosa, come V.S. può riconoscere dalle Scritture della Parte, che formano il Sommario della medesima num. 12. & 13.

Anzi per la ragione Chronologica, questi due atti non potero-no interuenire in Aragona, perche, se bene il primo è delli 15. di Marzo; con tutto ciò, quello non può hauer effetto, perche in Madrid continuò la disputa, e non fù fortificato questo Decreto se non alli 12. di Maggio, come si vede dal me-

medesimo Sommario della Parte; onde per l'ordine dei tempi non fù possibile, che nei fatti di Saragosa, che furono in Aprile, si potesse hauer ragione di vn Decreto firmato di Maggio: Che è quanto mi occorre di supplicarla à far riflettere al Sig. Cardinale, e le bacio deuotamente le mani.

Di Casa li 21. Gennaro 95. all'hore 16.

Di V.S. mio Sig.

Deuotiss. Seru. Obligatiss.
Giorgio Firmani.

Georgius de Firmanis